FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann

29

FRANC. ERNEST. BRVCKMANNI,
MED. DOCT.

EPISTOLA ITINERARIA XXIX.

DE

GLOSSOPETRIS
ET
CHELIDONIIS.

AD

VIRVM NOBILISSIMVM, CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM DOMINVM

DOMINVM

HENR. JOH BYTEMEISTER,

ART. MAG. ET PHILOS. DOCT. CELEBERRIMVM, ACAD. JVLIÆ ASSESSOR. ET POLYHISTOR. SPLENDIDISS.

AMICVM ET FAVTOREM COLENDISSIMVM.

(o)

CVM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENBVTTELAE. MDCCXXXIV.

VIR NOBILISSIME ATQUE DOCTISSIME, FAUTOR ET AMICE PLURIMUM COLENDE!

GLossopetræ, lapides notissimi figurati, vulgo *natricum & viperarum linguæ*, *Ophioglossæ*, vel *Ophioglossa*, Otter-Zungen, steinerne Natter-Zungen, & *Glottides*, Zungen-Steine, vocantur, non sunt serpentum linguæ lapideæ & petrifactæ, utpote quæ teretes sunt & bifidæ, nunquam triquetræ, qualem tamen figuram externam utplurimum hi lapides habent sed potius & originitus dentes Canis Carchariæ s. Lamiæ piscis, lupi aquatici & plurium aliorum animalium marinorum, fossiles, partim in saxis & rupibus petrifacti, partim in terræ visceribus calcinati, partim etiam parum, quod ad substantiam peculiarem duram osseam dentibus propriam, immutati. Hi piscium marinorum dentes post diluvia, vel universale, vel particularia, in terræ rimis, antris & visceribus, nantium grege & bestiis aquaticis vita defunctis, limo obruti & relicti remanserunt, tractu vero temporis, post aliquot secula, vel calcinati, vel, succo accedente lapidifico, in eam, quam hodie ostendunt, duritiem petrifacti. Evincunt hoc & aliæ piscium partes, v. g. spinæ, vertebræ, &c. pari ratione in saxum rigi-

gidum & prædurum in lapidicinis conversæ. Hujus nostræ sententiæ & jam olim fuit Celeber. Nicol. Steno, Cæsalpinus, Fabius Columna & plures alii oryctographi. Præterea Mylius, Lipsiensis, partes maxillarum piscium, cum alveolis & quibusdam dentibus inhærentibus petrifactis in museo Büttneriano Querfurti, & Leopoldino Lipsiæ vidit. confer. ejus Saxon. subterran. Part. II. p. 69. item Casp. Bartholini, Thom. fil. de Glossopetris diss. physica 4to Havniæ. 1704. Similem piscis maxillam cum dentibus petrifactam cum orbe curioso Joh. Rajus in der Welt Anfang/ rc. fig. 21. 22. communicavit. Inter res naturales musei nostri, *Vir Nobilissime*, & asservamus integrum canis carchariæ rictum, quinque dentium ordinibus armatum, qui exactissime cum glossopetris fossilibus conveniunt.

Glossopetræ minores quibusdam non Natter- sed Vogel-Zungen, *ornithoglossa*, *rostra avium*, item Stein-Zungen audiunt, sed non sunt avium linguæ in silicem mutatæ, potius, cum omnes & singulæ piscis canis carchariæ & aliorum marinorum animalium dentes accuratissime referant, & rectius *Odontopetræ*, Stein-Zähne vel *Ichtyodontes*, steinerne Fisch-Zähne, cum Luidio, a figura & origine denominandæ.

Hæc petrifacta exactæ duritiei sunt, exterius, quod ad partem, quæ extra maxillas erumpit, lævia & egregie quasi polita; corticem habent splendentem, ut plurium animalium dentes; coloris albi, flavescentis, cœrulescentis, cinerei, fusci, nigri, brunni, &c. medulla, quæ in quibusdam calcaria & porosa videtur, dura gaudent; in priori parte & apice plane acuminata, in posteriori lata sunt, basi crassiore & radice simplici vel duplici seu bicorni quasi; quædam figuram

habent triangularem, quædam instar ossis Ypsiloidis in cornua abeunt; quædam in margine serrata, quædam non; aliæ in radice dentata & binis parvis acutis denticulis ad latera instructa; cortice remoto & lamina polita detracta apparet medulla & materia quædam terrestris dura instar ossis medullosi exsiccati; linguæ admota, ob siccitatem, hærent, ut reliqua ossa in terra vel igne calcinata. In his terris Brunsvicensibus hi lapides rarissime observantur, & quidem ad urbem Lycopolin in fossa arenaria montis, der Huren-Berg/ dicti; Consultiss. & Doctiss. Med. & Phys. metall. Goslar. Dom. Siemens, amicus noster carissimus, ante urbis Goslariæ incendium, in lithophylacio suo instructissimo, quod, proh dolor! flammis simul consumtum, glossopetram Osterodæ ad sylvam Hercyniam effossam ostendebat. Minores quasdam odontopetras, Gandersheimii in terra repertas in Museo nostro asservamus. Reliquum apud nos prostant *Linguæ & oculi serpentum Melitenses*, Fig I. II. III. VI. extra matricem, fig. V. in matrice videndi; ab Italis, ex erroris & ignorantiæ fonte, vocantur *l'Ocbi di serpe*, Schlangen und Nattern-Augen, physicis quibusdam *chelidonii minerales*, (ad differentiam chelidoniorum marinorum, qui sunt umbilici marini minimi) Schwalben-Steine ex Malta, & Luidio *Bufonitæ*; item globuli vel massæ ex pluribus oculis minoribus a natura in saxis conglutinati. Hi lapides non sunt serpentum oculi petrifacti, nec hirundinum calculi, sed æque, ac odontopetræ, dentes piscium marinorum molares; Bach-Zähne/ magnitudine & forma bufonum oculis similes, nec ex hirundinibus sumuntur, sed in saxis inveniuntur. confer. Helwingii lithog. Angerburg. p. 69. 70.

Fig. I. II. III. VI. V.

Scheuch-

Scheuchzeri Iter Alpin. IV. p. 320. Kundmanni Promptuar. rerum natural. p. 228. 236. Chelidonii quoque interdum ex marmore vel Jaspide viridi, fulvique coloris, a falsariis arte parantur.

Oculi serpentum Melitenses & lapilli St. Pauli dicuntur, quia terræ alexipharmacæ duroque saxo inhærentes in insula Malta in antro St. Pauli, in der Grotta St. Pauli, speciatim, totamque per insulam repertu faciles. Sunt lapides parvi, rotundi, læves, oculati, nam oculum figura repræsentant, vel cuspidati & depressi, plerumque fulvi & lutei. Helvetici in Dominatu Sanen lutei sunt albi, cineracei, cœrulescentes, oblongi, rotundi vel quoque multiangulares. Justus Bertramus in Epist. med. Thom. Bartholini Cent. II. p. 437. ita de his verba fecit:

Chelidoniorum, quos vario colore & specie vivis juvencularum „ hirundinum ventriculis eximi, multos perquam simillimos re- „ periri in ora maritima, sic ut facile Plinio credam, præterquam, quæ, „ de ipsorum virtutibus fabulantur, eosque inde a grandioribus, „ aliave fluminis ripa collectos recens exclusis pullis per rostrum, „ inseri atque intrudi, quo delicatulus ventriculus spatiosior factus, „ escas suas, vermiculos, insecta, eo facilius citiusque recipiant, „ & ad avolandum maturentur. „ Hic autor loquitur de umbilicis marinis minoribus, non de chelidoniis fossilibus. Usum medicum in multis morbis maliginis & venenatis cum glossopetris communem habent; annulis, gemmarum instar, inclusi, contra omne venenum in digitis gestantur, exsculpuntur quoque & a mulierculis Melitensibus pro armillis asservantur. Plura de his piscium marinorum dentibus molaribus petrifactis videnda in Reiskii Epistol. Comment. de Glossopetris Luneburg. p. 55. Geyeri Thargel. Apollini sacro continent. trigam medicam. &c. p. 19. 20. Burch. Niderstedt Malta vet. & nova. p. 25. 26. Hübneri Nat. Lex. p. m. 1297. Breßlauer Kunst- und Natur-Gesch. XVIII. Versuch. p. 488. Scheuchzeri Natur-Gesch. des Schweitzerlandes. Part. III. p. 144. Bourges Reise des Bischoffs von Beryte p. 8. Camerarii sylloge memorabil. med. Cent. IV. §. XXXII.

Odontopetræ Melitenses s. Linguæ St. Pauli multis retro annis præ reliquis sunt celebres, & Divus Paulus, disertissimus gentium doctor, per miraculum olim viperarum linguas in saxeam duri-

tiem, quam hodie oſtendunt, in hac inſula Malta convertiſſe creditur, quum ad hujus littora naufragio appulſus, omnium viperarum virus proſcriberet. Tota hiſtoria, cujus ſacræ literæ nec verbulo mentionem fecere, mutationis & petrifactionis reliquiarum viperarum in terra ſaxisque nominatæ inſulæ, quæ iſtis inter ſcopulos abundat ita, ut ab incolis non numero, ſed modiis, vendantur, diſperſarum proſtat integris verbis & uberius in Joh. Dan. Geieri ſchediaſmat. de montibus conchiferis & gloſſopetris Altzeienſibus. p. 19 Non ſunt ſerratæ inſtar dentis, nec tornatæ in formam triangularem, ſed teneræ ſunt, mediæ duritiei, & natura calcinatæ, coloris albi & flaveſcentis, medulla una cum cortice facile maſticatur inſtar eboris vel C. C. bene calcinati.

Fig. VII. VIII. IX. XV. Fig. VII. VIII. IX. XV. ſunt ex agro & monte calcario *Luneburg.* harum VII. eſt alba, polita, ab utroque latere ſerrata, crenata, triangularis, ponderis trium ſemunciarum, in radice ſplendet, ac ſi pyrite aureo mixta. Reliquæ æque politæ, acutæ, obſcure cinerei, non crenatæ, medulla nigra refertæ. Odontopetra in tabula adjecta maxima, absque numero, triangularis eſt, cuſpidata, alba, polita, ſplendens, radix vero coloris obſcure-griſei. Omnium maxima, quæ nobis hoctenus in itineribus, cum plura ſpeculatorum naturæ rarithecia luſtraverimus, obvia facta, eſt iſta, quam in illuſtri & peregregio palatio ducali Saltzdahlenſi, cujus technophylacium innumeris rebus naturalibus & artefactis mirandis & pretioſis refertum, vidimus. Hæc Luneburgi olim ex montis calcarii ſtratis ſubterraneis eruta eſt, ſerrata & dentata, magnitudine ſpithamam excedens, certe omnes, quotquot hactenus natura ex terra in apricum produxit, & quotquot in orbe inveniuntur, pondere & peripheria longe ſuperat. Plura vid. apud M. Joh. Reiskium in Comment. epiſtol. de Gloſſopetris Luneburg. 4to. cum fig.

Fig. X. Fig. X eſt elegantiſſima, ex albo-cinerea, polita quaſi, in matrice lapidis arenarii lutei hærens, anno 1729. in Languedocia effoſſa; adeſt quoque maxima quædam Gallica ex tractu Narbonnenſi.

Fig. XI. Fig. XI. ſunt dentes foſſiles, fuſci brunnique coloris, ex utroque latere læves, plani, & infinitis poris, ac acupictis, ſcatentes, ad gloſſopetras accedentes. His dentibus integer rictus totumque pa-

palatum piſcis cujusdam marini obſitus eſt. Eduard. Luidius in Lithophylac. Britan. ichnographia p. 73. hos dentes Siliquaſtrum phaſcolatum, ſeu ad phaſeoli, Lupini vel piſi valvula & ſiliquas quodam modo accedens, a figura externa, vocavit, & varietates iſtius lapidis ibidem Tab. X. exhibuit. Modo dicti cum fig. 1448. iſtius exacte conveniunt.

Fig XII. XIII. XIV. XVI. XIX. XX. ſunt dentes *Alzeienſes Palatinatus inferioris*, cinerei & albi, quorum quidam unicam tantum, quidam bicornem radicem cum binis parvis hamulis ad latera habent; de his peculiari ſcripto egit Joh. Dan. Geierus l. c. de gloſſopetris Alzeienſibus p. 18 qui plures ſpecies figuris æri inciſis ibi repertas videndas offert, ſimulque Melitenſes deſcribit. *Fig. XII. XIII. XIV. XVI. XIX. XX.*

Fig. XVII. XVIII. ſunt gloſſopetræ parvæ ad pagum Brunſvicem *Oelper*, ob fontem aquam puriſſimam ſcaturientem, hinc ſtatim ſalutarem & medicum a vulgo dictum, ante ſex vel ſeptem annos notum factum, in ſabulo circa fontem repertæ, læves ſunt, partim nigræ, partim incanæ, partim albæ, quaſi calcinatæ, medulla lutea refertæ. *XVII. XVIII.*

Fig. XXI. XXII. ſunt *Gandersheimenſes* minores acutæ, rectæ & curvæ, coloris luteoli & cinerei. Reperiuntur ad pagum *Dickholtzen* dictum in ſtratis terræ arenoſis, in quibus ſimul egregii Bucarditæ & pectinitæ ſubtiliter ſtriati offenduntur. Ao. 1729. ibidem quatuor odontopetrarum ſpecimina, ad ulnæ quadrantem accedentia, rariora certe, eruta ſunt. *XXI. XXII.*

Proſtant & in noſtro muſeolo dentes foſſiles *Haſſiaci*, de quibus Wolfart in Hiſt. Nat. Haſſiæ uberius egit.

Hi dentes ſubterranei uſum medicum, in & externum, in his terris quidem rariorem, in Anglica & Italia frequentiorem, habent. Collo & auribus appenduntur, ſcyphisque induuntur, quia venena propellere, ut ita bibentes a potu virulento immunes ſint, dicuntur. Odotopetra in parturientis manu detenta partum juvare & promovere creditur; argento incluſa, in dentitione difficili, ad faciliorem horum oſſium ex alveolis & gingivis eruptionem, infantum collo, ſed absque effectu utplurimum appenduntur; ſit ſaltim, infantes hunc lapidem gingivis admoveant, & hoc modo dentibus in carne latentibus, morſibus tamen doloroſis, exitum aperiant;

riant;

riant; agunt sic sola sua duritie, non ut amuletum, nec propter signaturam, quæ dentiformis est, quando nempe infantes odontopetras in os intrudunt, gingivam premunt, dilacerant, perforant. Sed quoniam hi dentes acuti sunt, facillime ora infantum adhuc tenera lacerare & vulnerare possunt. Amuleti loco ad fascinationes & pavores nocturnos arcendos, superstitiose in usum trahuntur; parantur ex iis quoque dentifricia. Interne in epilepsia, lue Venerea, peste, febribus malignis, ardentibus & quibuscunque aliis, nam calorem febrium excessivum mitigant & anxietates imminuunt, variolis, morbillis, lumbricis infantum, non secus ac lapis Bezoar, laudantur, virtutes contra venena alexipharmacas habent, absorbent & ob sal volatile, quo scatent, lenem diaphoresin excitant. Non autem agunt ob causam, qua ex viperis, quæ alias in peste & febribus malignis adhibentur, desumantur, ut false putatur, sed in modum aliorum ossium in terra vel igne calcinatorum, v. g. C. C. usti, Unicornu fossilis, &c. Odontopetræ Siculorum Bezoar sunt, hinc pulvere harum, loco Bezoar, frequentissime utuntur. De usu medico, in specie Melitensium, vide plura in Cameratii Diss. de lapidum figuratorum usu medico p. 14. Th. Barthol. Cent. VI. Hist. anatom. I. p. 193. Semmedi Historia varior. simplicium exoticor. p. 78.

Vale, Vir Nobilissime atque doctissime, & ita statue, me excellentissimi ingenii Tui & amatorem & admiratorem perpetuo fore, qui serio in id incumbam, ut observantiam ac studium meum nullo non tempore Tibi probem. Vale iterum. Wolffenb. 1. Jun. 1734.

(o)




Fig: IV. Ad Ep. II: XXIIII.